

J. Wang, version latine pré-agrégatifs, 2023-2024  
À rendre pour le mardi 3 octobre 2023 (casier au DSA)

## **Version latine n°1 : inégalités, maltraitance et révolte**

*Début du V<sup>e</sup> s. av. J.-C. : dans une toute jeune République entourée de voisins menaçants, la tension entre plébéiens et patriciens, se cristallisant autour de la pratique de l'esclavage pour dettes, explose à l'occasion d'un incident.*

*Longueur LC : intégralité. Longueur LM : crochets droits.*

[Magno natu quidam cum omnium malorum suorum insignibus se in forum proiecit : obsita erat squalore uestis, foedior corporis habitus pallore ac macie perempti ; ad hoc promissa barba et capilli efferauerant speciem oris. Noscitabatur tamen in tanta deformitate, et ordinem duxisse aiebant, aliaque militiae decora uolgo miserantes eum iactabant ; ipse testes honestarum aliquot locis pugnarum cicatrices aduerso pectore ostentabat. Sciscitantibus unde ille habitus, unde deformitas, cum circumfusa turba esset prope in contionis modum, Sabino bello ait se militantem, quia propter populationes agri non fructu modo caruerit, sed uilla incensa fuerit, direpta omnia, pecora abacta, tributum iniquo suo tempore imperatum, aes alienum fecisse. Id cumulatam usuris primo se agro paterno auitoque exuisse, deinde fortunis aliis ; postremo uelut tabem peruenisse ad corpus ; ductum se ab creditore non in seruitium, sed in ergastulum et carnificinam esse. Inde ostentare tergum foedum recentibus uestigiis uerberum. Ad haec uisa auditaque clamor ingens oritur. Non iam foro se tumultus tenet, sed passim totam urbem peruadit. Nexi, uincti solutique, se undique in publicum proripiunt, implorant Quiritium fidem. Nullo loco deest seditionis uoluntarius comes ; multis passim agminibus per omnes uias cum clamore in forum curritur. Magno cum periculo suo qui forte patrum in foro erant in eam turbam inciderunt ; nec temperatum manibus foret, ni propere consules, P. Seruilius et Ap. Claudius, ad comprimendam seditionem interuenissent.] In eos multitudo uersa ostentare uincula sua deformitatemque aliam : haec se meritos dicere, exprobrantes suam quisque alius alibi militiam ; postulare minaciter magis quam suppliciter ut senatum uocarent ; curiamque ipsi futuri arbitri moderatoresque publici consilii circumsistunt. Pauci admodum patrum, quos casus obtulerat, contracti ab consulibus ; ceteros metus non curia modo sed etiam foro arcebat, nec agi quicquam per infrequentiam poterat senatus.

Tite-Live